



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **QUANTA BEATAE** IMAGO B. MARIAE VIRGINIS NIVALIS,
QUAE IN MONTE «IGLIZNA»,
INTRA FINES ARCHIDIOECESIS VRATISLAVIENSIS, CUSTODITUR,
PRETIOSO DIADEMATE CORONATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Quanta Beatae Virginis Nivalis imago colatur
pietate, quae in monte «Iglizna» seu Acuum custoditur, intra paroeciae Sancti Ioseph Miedzygórze fines posito et
archidioecesis Vratislaviensis, catholicorum concursus optime significat, qui per aetates iam inde ab anno 1782, cum
eidem Virgini est ibi ecclesia dicata, se illuc indesinenter contulerunt, benignam dulcissimae illius Matris tutelam et
efficacissimam apud Deum intercessionem impetraturi, cuius beneficia quamplurima fuisse eius templi annales
describunt. Ad huiusmodi autem cultum augendum et ad debitas Dei Genetrici gratias persolvendas protot favoribus
decursu temporis concessis, Venerabilis Frater Henricus Gulbinowicz, Archiepiscopus Metropolita Vratislaviensis, vota
expromens sua, cleri et Christi fidelium, rogavit ut Nostro nomine Nostraque auctoritate imago illa posset pretioso
diademate coronari. Qua re Nos, collatis cum Sacra Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino consiliis, libentissime
annuimus petitioni ac per has Litteras auctoritate Nostra Apostolica facultatem ei facimus ut imagini, quam nuper
memoravimus, Nostro nomine pretiosam imponat coronam, praescripta de ritu et formula secutus. Ceterum Nos
vehementer confidimus hoc sollempni facto tum tantae Deprecatricis, caeli terraeque Reginae, gloriam auctum iri, tum
catholicae illius communitatis fidem et mores firmatum. Contrariis quibusvis non obstantibus. *Datum Romae, apud S.
Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Octobris, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quinto.* AUGUSTINUS
Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana
